

Q. B. V.  
DE EO,  
QVOD IVVENIS LITERARVM STVDIOSVS  
SVO DEBEAT CORPORI,  
VTI MANIBVS DIVIS ECCADO - RICHTERIANIS  
IVSTA PERSOLVERET,  
EPHORO SVMME REVERENDO,  
PATRONIS, ET LITERARVM FAVTORIBVS,  
INSTITVTVM PROBANTIBVS,  
D. VII EIDVVM SEXTIL. H. L. Q. C.  
IOANNES GOTTHELF KVFFERVS, TSCHOPAV.  
BONI INGENII AC MORIS IVVENIS,  
PEROBABIT MEMORITER,  
CVI PROPITIAM AVDIENDI VOLVNTATEM  
PRECE DECENTI EXPETIT  
M. SAM. MOLLERVS, G. P. R.

---

FREIBERGAE,  
Typis CHRISTOPHORI MATTHAEI,  
A. 1739.

Biogr. erud.

D. 1667, 8

Vitt. Erud. sing. — Vol. 1667, 8

**A**nte, quam Deus O.M. post tenebras, lucem mundo meliorem redditurus erat, scholæ non modo apertæ, sed viri etiam quæsiti inventique sunt, qui, ipsi ingenii laude florentissimi, ornarent ac juvarent istas, ac juventuti, literarum, & divinioris disciplinæ cupidæ, omnis doctrinæ copias impertirentur. Tales in primis Freiberga nostra, cum eidem, salutari consilio, curæ incumberet, feliciter obtinuit: quorum vero, nonnullos, quasi de loco conspectore ostensos, & probe tandem cognitos, non urbes saltem amplissimæ instru-  
ctissimæque certatim appetiverunt, sed ipsi quoque Patriæ Patres Serenissimi illustribus ab se Gymnasiis conditis præfecerunt. Omnes quasi in uno erant Rivio; sed, post eum, Fabricius Misenæ, Siberus Grimæ, Portæque Lindemannus, Duces atque Rectores, bona, eodem fere tempore, docuerunt ac aluerunt ingenia, quorum quidem metropolis hæc metallifera fidem dexteritatemque experta fuerat. Veluti autem majus nullum, nullumque præstantius reipublicæ munus afferri possit, quam hoc, si quis ad formandam crudie-  
damque juventutem suam conferat operam: sic & venerari istos, quos idem occupat la-  
bor, ipsaque post fata gratum se illis, p̄r quos creuisse contigit, præstare, est piissimum. Talem, si quis alias, Fabricio præcipue, Doctori suo, tam vivo, quam cum ipsi superstes fa-  
etus erat, noster certe Hempelius præsttit: cuius fere scripta omnia, quæ multa sunt, no-  
men eiusdem, honorem, inque rem literariam merita, referunt. Probet hoc, quando  
~~nunc superioris aliquid temporis monumentorum edendum est, carmen illud sanctitatis~~  
plenum, quo iste epicedium, ab se in Fabricii obitum elegantissime conscriptum, Heroi Per illustri ac Generosissimo, Laurentio a Schoenberg, longiore vita dignissimo, ex contu-  
bernii prioris lege dedicat amicissime, ac una rei metallicæ præfecturam gratulatur.

Magnifico Viro Generis Nobilitate, Virtute, & sapientia præstanti LAVRENTIO a SCHONBERG, in Regenspurg, Illustriss. Ducis Saxoniæ, AVGVSTI Electoris &c.  
Domini nostri clementissimi, Consiliario, & rerum Metallicarum Præfecto,  
Domino & Patrono suo observando.

MICHAEL HEMPELIUS, Freibergensis, S. D.

**B**eat us in vocatione qui sua,  
Ut sancta gens Ecclesiæ,  
Tenens fidem, bonamque conscientiam,  
Solutus omni criminе,  
Legem Dei puraque mente diligens,  
Dei timens fidelis est,  
Nec audit impios, eorumque ingredi  
Superba vitat limina.  
Nec a piorum proripit pedem via,  
Nec horret iram Dæmonis.  
Totius orbis fracta quamvis concidat  
Structura, in altumque irruant  
Cacumina alta montium: non hæ tamen  
Ferient ruinæ illum virum.  
Namque huic adest præsens Deus, custodiam  
Agunt & ejus Angeli.

Lætetur ergo quilibet sibi datis  
Divinitus laboribus.  
Fungatur his alacriter, Deo simul  
Confidat imo pectori.  
In functione FABRICIVM scholaistica  
Nostrum Magistrum sedulo  
Hoc factitasse novimus, eeu plurima  
Monumenta id eius indicant,  
Corona & ornat in polis amarantina  
Ipsum, & beata gloria.  
Illiū, ut gratum ac discipulum pium  
Decet, minaci in patria  
Annos mea grassante pestilentia  
Quinque ante eram ut Nossaviae:  
Præclara dona, atque ordinem scholasticum,  
Et quos labores edidit:  
Virtutum an istius modi sanctissima  
Jaçtare possem semina  
Scholasticorum in pectora, illi ut organa  
Sint patriæ salubria:  
Me lugubri juvat sonare carmine.  
Nec non ut ejus strenue,  
Annitar in scholastico, quo munere  
Jam fungor ultra bis decem  
Annos, & hortulum Deo planto sacrum,  
Vestigiis infistere.  
Huic Lauream Poeticam, qua ornatus est  
A Cæsare, armaque addidi.  
„Decus Magistris est piis ac sedulis,  
„Deique donum maximum,  
„Videre discipulos pios, qui patriæ  
Sint utiles, Ecclesiæ  
„Probentur, aulis Principum cum laudibus,  
„Præsintque civitatibus.  
Hos inter unus stirpe de Schoenbergia,  
Sat nobili prosapia,  
LAURENTI, alumnus cum fueris Georgii  
Junctus mihi triennium:  
Pietas, fides, integritas, prudentia  
Insignis & spectabilis,  
Qua prædictus, fit nota nostro Principi:  
Qui eeu pater pro liberis  
Vigilat suis pro subditis, Ecclesiam  
Nutrix ut infantem fovet.  
Summo metallicae rei te muneri  
Praefecit, ut dijudices

Causas inextricabiles, ac indices,  
Quid veritati consonet,  
Quid discrepet, quae recta sint, quae sint secus,  
Fecisti idem, Senatui  
Junctus quater anno Lipsiae qui convenit  
Jussu Senatus Principis.  
Fuisti ut aequus omnibus, seu divites,  
Seu pauperes, seu nobili  
Erant loco, sive infimo nati : tamen  
Coluisse justitiam, & juvat  
Te caeca dona spernere, id curae quoque  
Tibi esse jam omnes novimus.  
„Non est magistratus, nisi a vero Deo,  
„Hunc qui eligit, quique ordinat,  
„Curat, juvat, fovet, tuetur, diligit,  
„Suisque stipat Angelis.  
Sublimi is hoc, in pergravique munere  
Vult Spiritu prudentiae  
Adesse, vires corporis concedere,  
Roburque sufficiens tibi.  
**LAURENTI**, eam sublimitatem ergo meo  
Congratulor de pectore.  
Annis meorum ut mollibus commilito  
Studiorum eras suavissimus,  
Maneto sic horum, & meis, dum vivimus,  
Rogo, patronus optimus.  
Tricesimus nunc annus est, quo nos schola  
In Fabrici una viximus.  
Addat Deus nobis totidem his feliciter,  
Et post beata gaudia.  
Voti huius, vtque amoris in te extet mei  
Pignus, sciant quod posteri,  
Lustrum ante scriptum carmen hoc, nunc edidi,  
Illud tibique dedico.  
Quod si satis nec splendidum, nec auribus  
Doctis tuis faciat: tamen  
Boni Magistrum propter illud consulens,  
A me libenter accipe.

Friberti, Anno Christi MDLXXVII, Die xxix Mens. viubris, quo die in Ecclesia Fe-  
stum de Sanctis & Deo obedientibus Angelis, ad consolationem omnium piorum con-  
tra Satanam, celebratur. Eoquoque die, anno M D XXXIIII, natus sum, quem  
annum numerum sequenti Chronodisticho inclusi.

HaeC hoDIE est LVX Frlberga qVa naSCor In Vrbe  
En ea tota probe ConCeLebranDa VenIt.